



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

Prooemivm Seqventivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)



PROOEMIUM SE- QUENTIVM.

SUper venerabili Abbate EGINONE pro Christi postis in dispersione sancti OVDALRICI & S. AFRÆ cœnobitis OVDALSCALCVS, feruus corum, vtinam non inutilis, b̄i auio donari eternæ beatitudinis.

Gratiâ Solis iustitiæ illustrati nationis prauæ atq; peruerse renuntiaſtis cæcitati, ac per hoc in persecutione propter iusticiam tribulati, Euangelica attestatione meruistis esse beati. Patrem enim vestrum spiritualem carni & sanguini præposuistis, immundum tangere nolulistis, dum ipso docente AVGVSTENSEM dictum Episcopum in interdictis Sacramentis, minimè recepistis. Quapropter vestræ quasi in præmium conceditur sanctitati, vt si qui ex vobis ab eo sunt ordinati, nulli per hoc canonum subiaceant seueritati, sed in eiusdem patris vestri pendeat potestate, ab huiusmodi contagio Apostolica vos absolueret auctoritate; maxime illos, qui post factam sibi Pontificalis officij suspensionem, vllam ab eo percipere consecrationem.

Malach. 4.
Philip. 2.
Matth. 5.

Vt autem pater idem magis ac magis honoretur vel ametur, qualiter sit Abbas constitutus literis commendetur; tum pro cauenda oblatantium falsitate, tum pro tenenda rei huius veritate. Dein quomodo dictus Episcopus inuestiatur seu ordinetur, nihilominus subnotetur, vt totum gratiæ tribuendum esse doceatur, quidquid in eo vel sub eo ab Ecclesia recipiatur. Quantis etiam miraculorum beneficijs locus vester sub tali Abbate declaratur, ad laudem DEI, memoriæ non subtrahatur. Postremo tyrannide impiorum prævalente, quomodo locum ipsum Ecclesia reliqueritis præcipiente, calamo non dissimuletur, vt ad tantum iustitiæ feruorem exequandum posteritas prouocetur.

